

vel apex unus perierit. Matth. V. 18. exercitatus Scriba omnem
 licuram, literis tenebras suffundentem, vitat: Similiter Spiritus S.
 quicquid ad salutem scitu credituque necessarium est, adeo ema-
 culate, adeo perspicue tradidit, ut verbum ejus sit & dicatur lu-
 cerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, Pl. CXIX. 105.
 Candidus Notarius fucum scribendo non facit, ita Sp. S. per
 Amanuenses suos ea simplicitate ac sinceritate sacras literas infor-
 mavit, ut sermo ejus vere sit & dicatur ipsissima veritas, Joh.
 XVII. 17. Idem nihil eorum, quæ seu ad instrumenti publici, seu
 ad alterius scripti substantiam faciunt, præterit: ita Spiritui S. omnia,
 quæ sive ad fidem, sive ad vitam Christianam faciunt, visum est
 docere & scribere diligenter Luc. I. 8. Exercitatus scriba eo ver-
 borum selectu ac stili genere utitur, quod sua persuadendi vi in
 animis legentium aculeos relinquit: ita Sp. S. verbis mire em-
 phaticis verborumque divina & interna *δευότητι* effecit, ut sermo
 ejus audiat *δύναμις θεῶ ἐν σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι*, ut meditan-
 tes eum trahantur a Patre Rom. I. 6. Joh. VI. 44. Notarius pu-
 blicus autenticas tabulas, autentica instrumenta in civilibus exarat,
 ad quæ si concordant apographa, vera, sin minus, falsa judicantur:
 Similiter doctrina Sp. S. utpote *ἀρχέτυπος & θεόπνευστος λόγος*, au-
 tentica est, ad hanc unam versiones omnes ut rivuli ad fontem
 examinandæ sunt. Sed satis de Nomine *סופר* prout in Spiritum S.
 cadit; progrediendum ad homines atque videndum est, de qui-
 bus hos inter idem Nomen usurpetur: In Ecclesiastico ordine
 eminet Esra, qui ut partim in suo, partim in Nehemiae libro mul-
 toties absolute *סופר*, ita Esræ VII. 6 cum notabili epitheto *סופר מדין*
 nuncupatur. An idem fuerit Esra, ut quibusdam placet (12) qui
 Malachias Propheta, disquirere hic nil attinet; ad scopum potius
 nostrum facit ostendere, quando *סופר* appellatur, non primario &
 formaliter ad actum numerandi, quod literas vocabula & versus
 Canonis

(12) Quibus præivit Jonathan Paraphrastes Malach. I, 1.